



Nachtrag...

80



6  
PROPOSITI  
ONES, DE QVIBVS RESPON  
debunt, Magister Georgius AEmylus  
Mansfeldensis, & Simon Musæus,  
& Magister Petrus Prætorius  
Cotbusianus.

ANNO 1554.

Die quinto Maij, quo ante annos  
1520. Filius Dei admirando  
triumpho, spectante magno  
coetu Apostolorum &  
Discipulorum in  
Coelum ascen  
dit.

VVITEBERGAE.



VII



pastoris.

Omnia caro ad te veniet  
Ergo Innocentio ethnica non  
est revivenda. Antecessor  
sicut ex Actis de carne  
p. omnia ita venit si creavit. Similiter  
eadem exclusivae, i. nullius nisi  
Deus exaudiat nisi in.

Fors geris.

Aut Deus genuit sese aut alium  
Deum. p. pater genuit filium  
non est alia divinitas, voluit  
nomen deo et essentia ut  
et in symbolo Athanasij:

Epiphanius.

Pater est auctor totius non  
motor, filius est motor  
non auctor totius.

Jerem: 31. loquitur de summa  
vox de atri:



# PROPOSITIONES.

## I.

**I**N omni uera inuocatione Dei cogitandum est quid alloquamur, et quem Deum, ubi patefactum inuocemus, & qualis sit, an & quare exaudiat, & segreganda est Inuocatio nostra in Ecclesia, ab Ethnica & ab alijs, & cogitatione discernenda est uera Ecclesia ab alijs Sectis. Quare & gratis mentibus intuentæ sunt patefactiones diuinæ, & hic uerus Deus inuocandus est, qui se patefecit misso Filio, & edita Lege, & edito Euangelio, Sicut inquit Dominus. Quidquid petetis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Item, Nemo uenit ad Patrem, nisi per Filium &c.

## II.

Hic cum discernantur Personæ, necesse est intelligi, & quid sit hoc loco Persona, & quare tres, nec plures, nec pauciores agnoscendæ sint. Vt igitur in Ecclesia loquimur, Persona est substantia indiuidua, intelligens, incommuni-

A ij

cabilis,



cabilis, non sustentata in alio, Græci magis perspicue dixerunt hypostasim, seu ὑφιστάμινον. Nam hoc queritur, An λόγος ante natiuitatem ex uirgine sit Imago æterni Patris ὑφιστάμινη, aut euanescentes cogitatio, seu uox, aut propositum, non uiuum, non intelligens? Item, An πνεῦμα sit ipse Pater mouens, seu motus creatus, aut an sit agitatio, seu flamma ὑφιστάμινη, uiua & intelligens?

### III.

Talis est autem Essentia diuina, Sapiens, & uolens talia, qualia præcipit in Lege, & misericors, sicut se in Euangelio patefecit. Et sciamus essentiam diuinam distinguendam esse ab omnibus creaturis, & repudiandas esse Philosophicas imaginationes, quæ fingunt Deum esse ἐνδέλεχαιον infusam omnibus creaturis, ita, ut sine his non possit esse. Sed adest creaturis liberrime, sicut uult, & quatenus uult, ac pia cogitatione discernamus Deum ab omnibus malis & immundis naturis, id est, quarum uoluntas nõ congruit cum ordine qui in Lege proponitur. Et mens



### III.

Et mens alloquens Deum condito-  
rem, cogitet æternum Patrem domini  
nostri Iesu Christi, patefactum voce sua,  
ut in baptismo Christi & alibi, & cogitet  
ipsum Filium, Imaginem *ἡὲν λόγον* æterni  
Patris, patefactū in promissionib. & in  
adsumpta humana natura et miraculis, &  
Spiritus sanctum patefactū in Penteco-  
ste & alibi. Deinde sciat *λόγον* esse Perso-  
nam missam ad Ecclesiam ab initio, &  
protulisse Euangelium ex sinu æterni Pa-  
tris, & semper adfuisse Ecclesie, pro ea  
deprecatum esse, & adsumpta humana  
natura, placasse iram æterni Patris, &  
propter hunc Mediatorem Deum & homi-  
nem nos certo accipere remissionem  
peccatorum, & reconciliationem & ex-  
audiri, ac nunc quoq; Sacerdotem esse  
hunc Filium conseruantem ministerium  
Euangelij, & colligentem ac seruantem  
Ecclesiam sua potentia, & interpellans  
tem pro nobis, & uoce Euangelij dicere  
eam consolatiōem & monstrare Patrem,  
et per eum dari Spiritū sanctum in corda,

A iij

qui



Qui læticiam & inuocationem exuscitat,  
ut Paulus inquit, Misit Deus spiritum  
Filij sui in corda.

V.

Hæc inuocatio fuit nota Patribus, ut  
scriptum est. Abraham uidit diem meum  
& lætatus est. Intelligebant enim tradi-  
tam promissionem de Gratia, & de bonis  
æternis.

VI.

Quare Latomus Louaniensis impie  
scripsit, non aliam fuisse noticiam Dei  
in Abraham, quam qualis fuit in Xeno-  
phonte & Cicerone. Talis confusio Ec-  
clesiæ & Ethnicorum execranda est.

VII.

x Execranda est etiam confusio quam  
Thammerus facit, qui semper ait notum  
fuisse omnibus gentibus Christum, quia  
Lex nota fuit. Et his præstigijs suam im-  
pietatem cõfirmare conatur. Cum Pau-  
lus ad Romanos dicat, Potentiam Dei  
notam fuisse gentibus, Christus autem  
nominetur potentia Dei ad Corinthios,  
sequi



sequi Christum notum fuisse. In hoc ar-  
gumento non uidet Paulum ad Roma-  
nos loqui de potentia ostensa in opificio  
creationis. Ad Corinthios uero nomi-  
natur Christus, Potentia non solius crea-  
tionis, sed reparationis & saluationis ho-  
minum.

Execranda est & Samosatēni & Ser-  
uēti impietas, similis Mahometicæ, qui  
negant in hoc dicto, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος,  
oportere intelligi τὸν λόγον Personam esse  
seu ὑφιστάμενον. Damnandus est & Ari-  
us, qui negat Filium esse ὁμοῦσιον Patri.

### VIII.

Sint igitur nota discrimina Personarum,  
& in inuocatione cogitentur. Pater  
æternus est prima Persona diuinitatis,  
neq̄ nata aliunde, neq̄ aliunde proce-  
dens, neq̄ creata, Sed quæ ab æterno Fi-  
lium genuit, imaginem suam, & una cum  
Filio & Spiritu sancto condidit omnes  
creaturas, & conseruat earum substan-  
tias.

A iij

Filius



## IX.

Filius æternus est secunda Persona diuinitatis, non creata ex nihilo, sed à Patre ab æterno genita de ipsius substantia, & est substantialis & integra Imago æterni Patris, ὁμοῦσιος Patri, quam Pater sese intuens & considerans, gignit, quæ nobis sic manifestata est, quod sit λόγος, ac persona per quam Pater dicit decretum & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & quod hic Filius missus immediate patefecerit Euangeliū, & adsumpserit humanam naturam, & sic Mediator, Redemptor & Saluator, colligens Ecclesiam in genere humano, & resuscitans eam ad uitam æternam.

## X.

Spiritus sanctus est Persona tertia diuinitatis, procedens ab æterno Patre, & Filio, & ὁμοῦσιος eis, & est amor & læticia substantialis, & mittitur uoce Euangelij in corda credentium, ut adfensionem in eis confirmet & accendat congruentes Deo, & excitet Inuocationem, & læticiam in Deo acquiescentem.



## XI.

Filius nominatur λόγος, non tantum respectu Patris, quia cogitatione nascitur, sed etiam ideo, quia nobiscū loquitur, profert arcanum & admirandum decretum de nostra salute ex sinu æterni Patris, sustentat ministerium Euangelij, & ei adest, est efficax per uocem Euangelij, monstrat in cordib. æternum Patrem, sicut inquit, Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uolet Filius reuelare. Et per eum datur Spiritus sanctus, ac recte dictum est ab Athanasio. In quocunq; homine dicitur esse Spiritus sanctus, in eo est per uerbum. Latari in Deo & in eo acquiescere & eum inuocare, motus sunt quos antecedit uera Dei noticia, & agnitio misericordiæ per Filium ostensa.

## XII.

Nec potest fieri uera inuocatio nisi beneficia Mediatoris nota sint, & fide, id est, fiducia Mediatoris corda ad Deū accedant, sicut scriptum est. Quomodo inuocabunt, nisi credent? Et Ephes. 3.

A v

Per



Per quem audemus accedere in fiducia,  
quæ est per fidem in ipsum.

### XIII.

Neceſſe eſt igitur ſcire diſcrimen Le-  
gis & Euangelij, in quo admirandum  
decretum de remiſſione peccatorum, de  
reſtitutione naturæ humanæ, & de iuſti-  
cia æterna patefecit per filium, qui miſſus  
eſt, & ut ſit Angelus huius magni conſi-  
lij, & ut ſit Mediator, Redemptor &  
Saluator, merito & efficacia, quem uti-  
nam recte agnoſcamus, & leti in tota  
æternitate celebremus.

### XIIII.

Cum de Lege cogitamus, ualde im-  
pediuntur omnes homines puerilibus  
imaginationibus in hac noſtra infirmita-  
te, ut magnitudinem & amplitudinem  
huius diuinæ ſapientiæ non ſatis confide-  
remus, Sed quaſi Solonis aut Decemui-  
rales tabulas aſpicientes, exiſtimemus  
Legem Dei, tantum huius politicę con-  
ſuetudinis carcerem, & mutabile uincu-  
lum eſſe. Hanc noſtram caliginem taxat



Paulus, inquit, Lex spiritualis est, Ego autem carnalis sum uenundatus sub peccatum, id est, Lex non est tantum politicum frenum, sed est æterna & immota sapientia in Deo, & norma iusticiæ in voluntate Dei, discernens bona & mala, quæ est patefacta rationali creaturæ in creatione, & postea sæpe repetita & sancita uoce diuina in Ecclesia, ostendens quod sit Deus, & qualis sit, & quod sit Iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut sint conformes illi normæ Dei, & damnans omnes ac denuncians horribilem destructionem omnibus, quæ non congruunt ad illam normam, nisi sit facta reconciliatio propter Mediatorem, quæ alibi in promissionibus reuelata est, non est noticia nascens nobiscum.

## XV.

Etsi non satis est Legem in Ecclesia docere, tamen semper uult Deus & uocem Legis moralis in Ecclesia sonare, & semper retinuit eam in uera Ecclesia, Et illustre testimonium et demonstratio est, ostens



ostendens, qui cœtus sit populus Dei.  
Cum enim Ethnici, Mahometistæ, &  
Papistæ Leges aliquas habeant contrarias  
as Decalogo, impossibile est eos esse Ec-  
clesiam Dei, ut enim Ethnici finxerunt  
noua numina, sic Papistæ iubent inuo-  
care homines mortuos, instituerunt falsa  
Sacrificia, & falsas adorationes. Item,  
Legem habent de cœlibatu Sacerdotum,  
contrariam diuinæ. Item prorsus delent  
præceptum de concupiscencia sicut Pha-  
risei.

### XVI.

Hoc testimonium de Ecclesia gratum  
est pijs mentibus, & magnum Ecclesiæ  
decus est, quod in solo eo cœtu semper  
mansit Lex Dei incorrupta.

### XVII.

Per Legem agnitio est peccati, Ne-  
cesse est igitur legem in Ecclesia sonare,  
ut semper intelligant homines ordinem  
& discrimen inter recta placentia Deo,  
& non recta, quibus uere & horribiliter  
irascitur Deus, & expauescant agnitione  
pecca



peccatorum. Et hac ipsa noticia Legis  
uitur Deus tanquam fulmine, cum cor-  
da iudicat, ut scriptum est, Aculeus mor-  
tis peccatum est, Potentia uero peccati  
Lex est. Item, Sicut Leo contriuit om-  
nia ossa mea.

### XVIII.

Sed non satis est in Ecclesia Legem  
docere, qua Deus omnium peccata ius-  
dicat, etiam illorum, qui sunt extra Ec-  
clesiam. Verum necesse est agnosci filiū  
Dei, Mediatorem & eius beneficia, Sicut  
Pater cœlestis clamat. Hic est Filius me-  
us dilectus, Hunc audite. Et in Psalmo  
dicitur, Osculamini Filium. Et in Esaia  
scriptum est. Noticia serui mei iusti, ius-  
tificabit multos. Colligitur ergo Eccle-  
sia Dei, ministerio Euangelij, in quo &  
arguitur peccatum, & monstratur Filius  
Dei, Dominus noster Iesus Christus,  
immensa misericordia missus, ut propter  
eum & per eum gratis reddantur nobis  
iusticia & uita æterna.

Est igitur



## XIX.

Est igitur Euangelium prædicatio Pœnitentiæ, & promissio quam ratio nō tenet naturaliter, sed reuelata diuinitus, in qua Deus adfirmat se propter Filium Mediatorem, Dominum nostrum Iesum Christum, gratis, non propter ulla nostra opera, aut uirtutes nostras remittere peccata, & imputare iusticiam credentibus in Filium, ac simul uiuificare nos per Filium & sanctificare dato Spiritu sancto, & facere nos hæredes uitæ æternæ. Hæc bona omnia complexus est Paulus, cum inquit, Gratia Dei & donum per gratiam unius hominis Iesu Christi in multos exuberauit.

## XX.

Mirando consilio decretum est, ut hic Mediator sit Deus & homo. Et causas in tota æternitate cōsiderabimus. Inchoari tamen hanc sapientiam uult Deus in hac uita, uult nos cogitare nō frustra hoc fœdus cum natura humana factum esse, uult gratos celebrare hunc summū amor  
rem



rem erga nos. Cū Diabolus horribili odio Lei, auulsisset genus humanū à Deo, & uicisset homines, rursus hoc modo redditur Deo genus humanum facto decreto, ut Filius adsumeret massam naturæ humanæ. Et rursus per hominem uincitur potentia Diaboli, Sicut statim in prima promissione dictum est. Semen mulieris conteret caput Serpentis.

### XXI.

Nec adest naturæ humanæ λόγος, quā adsumpsit, tantum societate, sicut adest Abrahæ, Iacob, Prophetis, sicut Nestoriani fingebant, sed unio est hypostatica τῷ λόγῳ & humanæ naturæ adsumptæ, ut gestetur humana natura à uerbo non solum inseparabiliter, sed ita etiam, ut nisi sic sustentaretur, illa massa prorsus interiret. Non enim esset *ὑφιστάμενον*, nisi sic gestaretur hæc massa.

### XXII.

Etsi exemplum prorsus simile monstrari non potest, tamen uetustas usa est hac



hac similitudine. Esse unum ὑφιστάμενον.  
 τὸν λόγον, & adsumptam naturam huma-  
 nam, sicut homo est unum ὑφιστάμενον, ha-  
 bens animam & corpus. Hac similitu-  
 dine usi sunt Athanasius, Cyrillus, & Iu-  
 stinus, qui tamen addit correctionem,  
 τινὲς μὲν τῆν ἔνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοή-  
 σαντες, οὕτως ἐκδέδωκασι. καὶ ἀρμόδιον γε τὸ  
 παράδειγμα, εἴ κἢ μὴ ἦ πάντα, κατὰ τι γῶν.  
 τὰ αὐτὸν γὰρ.

### XXIII.

Causæ autem cogitentur huius mi-  
 randi consilij. Nisi decretum fuisset, ut  
 massa ex genere humano adsumeretur,  
 & sic rursus uiuificaretur per uerbum,  
 quo conditum erat, prorsus fuisset ex-  
 tinctum genus humanum, & reliquum  
 mundi opificium frustra conditum esset.  
 Ita propter hanc massam adsumendam  
 seruatur natura.

Cumq; immensa misericordia depre-  
 cante Filio seruaretur genus humanum,  
 & Deus tamen uellet iusticiæ suæ satis-  
 fieri, congruebat pœnam persolui per  
 aliquem in genere humano, Ac ut æqui-  
 ualens



ualens precium esset, in hanc Personam  
pœna deriuata est. Nec potuisset iram  
Dei sustinere sola creatura, nec uincere  
mortem & restituere iusticiam & uitam.  
Ideo hic Redemptor & Saluator Deus &  
homo est. Et congruit hunc esse Media-  
torem & deprecatorem, qui uidet pectus  
Patris & corda inuocantium. Item na-  
turæ omnipotentis est assidue adesse Ec-  
clesiæ & eam protegere. Et cum uerbo  
condita sit natura, quod est imago æter-  
ni Patris, rursus per uerbum uiuificatur,  
& restituitur in nobis imago Dei. Hæc  
cum reuerenter cogitantur, accendunt  
gratitudinem & inuocationem.

### XXIII.

Considerata doctrina de Persona  
Mediatoris, beneficia etiam sciri necesse  
est. Grati agnoscamus & celebremus  
hoc ingens beneficium Dei, quod uult  
Ecclesiam colligi ministerio Euangelij,  
scilicet, uoce Euangelij audita, seu lecta  
& cogitata, quia expresse scriptum est.  
Quomodo audient sine prædicante ?  
B Item,



Item, Quam speciosi sunt pedes Euang-  
gelizantium pacem. Id autem ministeriū  
immediate inchoauit Filius Dei λόγος,  
proferens Euangelium ex sinu æterni Pa-  
tris, & ut tunc simul & foris sonabat uo-  
cem, & corda perterrefacta uiuificabat  
monstrans voluntatem æterni Patris, &  
Spiritu sancto accendebat leticiam & in-  
uocationem, ita & deinceps seruat Ec-  
clesiam, adest ei, & est efficax uoce Eu-  
angelij. Execrandus est autem error  
Stenkefeldij, qui abducit homines ab ex-  
terna uoce, & contendit Deum sine ex-  
terna uoce sanctificare homines.

### XXV.

Domínus iubet prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo, Cum igitur corda perterrefacta prædicatione pœnitentiæ, audiunt promissionem, & ei uere credunt, hac fide gratis propter filium Dei Mediatorem iustificantur, id est, accipiunt remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ ac reconciliationem, & uiuifi-  
cantur



cantur per filium Dei, qui & uoce Euan-  
gelij dicit in cordibus credentium conso-  
lationem, & effundit in ea Spiritum san-  
ctum, & facit eos hæredes uitæ æternæ.

### XXVI.

Papistæ corrumpunt doctrinam Pau-  
li, cum ait, Fide iustificamur, quia dicunt  
Synecdochen esse, & interpretantur fide  
præparamur ad iusticiam, Et iusti sumus  
id est, accepti Deo propter noticiam his-  
torix & dilectionem & alias uirtutes.

### XXVII.

Addunt & hoc, hominem semper  
debere dubitare, an sit in gratia, & hanc  
dubitationem non esse peccatum.

### XXVIII.

Hæc impia delyramenta sunt execran-  
da. Ac sciendum est fidem non tantum  
esse noticiam historix, cum Paulus in-  
quit, Iustificati fide pacem habemus.

### XXIX.

Sed fides de qua Paulus loquitur, est

B ij

adsentia



adsentiri omni uerbo Dei nobis tradito,  
atq; ita promissioni gratiæ, & est fiducia  
acquiescens in Deo propter mediato-  
rem, & clamans Abba Pater.

XXX.

× Ait & Osiander fidem esse præpara-  
tionem ad iusticiam, quia fide accipitur  
diuinitas quæ postea mouet ad iusta fa-  
cienda. Ita re ipsa hoc dicit, Hominem  
nouitate iustum esse, scilicet quia diuini-  
tas in eo nouas actiones efficit. Non  
enim iam alia absurdiora recitamus quæ  
scribit.

XXXI.

Ecclesiæ nostræ cum Prophetis &  
Apostolis dicunt, non esse hominem ius-  
tum, id est, habentem remissionem &  
acceptum Deo ad uitam æternam, pro-  
pter propriam dilectionem, aut propter  
nouitatem propriam, quia scriptum est,  
Non iustificabitur in conspectu tuo om-  
nis uiuens. Et Iob 9. Vere scio, quod  
homo non est iustus coram Deo.

Sed



## XXXII.

Sed quanquam in renatis habitat Diuinitas, tamen semper oportet nos retinere hanc consolationem, quod propter obedientiam Mediatoris sumus iusti, id est, habentes remissionem & imputationem iusticiæ, fide, id est, fiducia misericordiae promissæ propter filium, gratis, sicut Paulus inquit, iustificati sanguine ipsius. Item, Per obedientiam unius, iusti constituentur multi.

## XXXIII.

Aeternus Pater per filium uoce Euangelij cōsolantem corda dat Spiritum sanctum. Ita uere habitat Diuinitas in credentibus, & accendit nouas actiones. Et tamen his actionibus in infinitum anteferenda est obedientia & intercessio filij Dei. Hanc semper immediate intuetur fides, & agnoscit Mediatorem esse umbraculum & intercessorem inter Patrem & nos, & accipit remissionem peccatorum & imputationem iusticiæ. Vera est igitur Propositio, Propter obedientiam  
B iij filij



filij Dei, sola fide sumus iusti, id est, habentes remissionem peccatorum & imputationem iusticiae & uiuificationem, sicut scriptum est, Iustus fide sua uiuet.

### XXXIII.

In hac ipsa consolatione cum erigimur, Filius Dei uere est efficax in credente, & liberat eum à doloribus inferorum, sicut inquit, O mors, ero mors tua. O inferne, ero pestis tua. Et sanctificatio inchoatur, qua imago Dei in credentibus renouatur, & adsimilatio fit ad filium, ut congruant mens & uoluntas accensa Spiritu sancto ad uerbum & filium Dei.

### XXXV.

Manet ordo in tota aeternitate, ut Creatura Deo obediat, ideoque filius Dei missus est, ut obedientia in nobis restituatur, non ut confirmetur peccatum. Non ideo filius Dei sudauit sanguinem, & crucifixus est, ut horrendis furoribus licentia concedatur, Sed ut Ecclesia colligatur in genere humano, cui Deus suam sapientiam, iusticiam & laeticiam in tota aeternitate



nitate uult cōmunicare, in qua erit Deus  
omnia in omnibus. Cum igitur dicitur,  
Non estis sub Lege, id solis conuersis ad  
Deum & fide liberatis à condemnatione  
dicitur, Nec deletur Lex ipsa, quæ est  
æterna sapientia Dei, sed sub Lege esse,  
est condemnatum esse Lege,

### XXXVI.

Et tamen cum semper in hac uita re-  
liquum sit peccatum in renatis, fide sunt  
iusti & liberati à Lege, id est, à condem-  
natione & doloribus inferorum, propter  
Mediatoris obedientiam, Hac fide acce-  
dunt Prophetæ ad Deum, Sicut inquit  
Daniel, Non in iusticia nostra, sed mise-  
ricordia tua, propter Dominum, exaudi  
nos. Et in hoc ipso Pauli dicto, Estis sub  
Gratia idem significatur, sic ad Deum  
accedendum esse, agnitione Gratia, id  
est, gratuita misericordiae certo donatae  
propter Mediatoris obedientiam & in-  
tercessionem. Hæc uera consolatio sem-  
per præluceat inuocationi, nec obruatur  
impia doctrina Papistarum & concilij  
B iij Triden



Tridentini, quæ iubet conuersos dubitare, an sint in gratia, neque obscuretur Enthusiatarum & Anabaptistarum præstigijs, qui iubent te aspicere nouitatem, & abducunt mentes à conspectu Mediatoris.

### XXXVII.

Manifestum est, Cum Paulus ait iustificamur fide, in uerbo iustificationis eum comprehendere hanc relationem, accipere remissionem, & reconciliationem. Deinde quæ obedientia, & quomodo placeat, & nominetur iusticia et sanctitas suo loco dicitur.

### XXXVIII.

Ipsa Symboli recitatio, Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, testatur Præceptum Dei esse, ut queramus, quæ & ubi sit uera Dei Ecclesia, & ut singuli se ad eam adiungant fide, inuocatione, confessione, & dilectione, iuxta hæc dicta, Psal. 25. Odi Ecclesiam malignantium, Circumdabo altare tuum Domine. Et Psalmo 26. Vnum petij à Domino,  
hoc



hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Psalm. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine. Psalm. 91. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebut. Psalm. 121. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.

### XXIX.

Est autem uera Ecclesia uisibilis in hac uita, coetus amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, recte utentium Sacramentis, in quo filius Dei per ministerium Euangelij est efficax & multos regenerat, & facit hæredes uitæ æternæ. Et sunt in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

### XL.

Nō loquimur de Ecclesia, ut de idea platonica, Sed monstramus eam, quæ & ubi sit, & signa non fallacia ostendimus ut discerni uera Ecclesia ab alijs congregationibus possit, quæ sunt hostes ueræ doctrinæ. Recens Bauarici Episcopi & alij alibi leges sanguine scriptas ediderunt,

B v runt,



runt, in quibus præcipiunt impios cultus  
& impia onera. Talium legum autores  
ac propugnatores, nequaquam sunt mem-  
bra ueræ Ecclesiæ Dei. Tenenda est  
enim Regula. Siquis aliud Euangelium  
docet anathema sit.

### XLI.

Manifestum est autem Papisticos des-  
fendere multos tetros errores. Non recte  
docent de peccato, & de iustificatione, et  
de fide, cõfirmant impium dogma de du-  
bitatione, Non recte docent quæ opera  
sint cultus Dei, & quomodo placeant  
Deo, Fingunt homines posse instituere  
cultus Dei, & eos cultus necessario ser-  
uandos esse. Corrumpunt totam doctri-  
nam, de pœnitentia, dicunt contricio-  
nem oportere sufficientem esse, & me-  
reri remissionem, dicunt necessariam esse  
enumerationem omnium delictorum in  
petenda absolutione, fingunt satisfactio-  
nes Canonicas & aiunt esse compensa-  
tiones pœnarum purgatorij, defendunt  
inuocationes hominum mortuorum,  
præcipi-



præcipiunt adorationem falsam signorum, cum nihil habeat rationem Sacramenti extra usum institutum diuinitus, Horribili prophanatione cœnam Domini conferunt in questum, & prorsus Ethnico more fingunt sacrificulos mereri facienti & alijs & quidem ex opere operato sine bono motu utentis &c. Prohibent coniugium ijs qui non sunt idonei ad celibatum. Pingunt Ecclesiam uelut Regnum in quo dominari dicunt Romanum Episcopum & habere auctoritatem instituendi cultus, & transferendi imperia politica.

### XLII.

De his tantis rebus cum Papistici Episcopi defendant impios & perniciosos errores, non sunt Ecclesia Dei, & regula tenenda est, Fugite idola.

### XLIII.

Seruat autem filius Dei Semper aliquos qui retinent fundamentum, nec probant errores pugnantes cum articulis fidei, & admoniti non defendunt  
idola,



idola, quanquam in hac infirmitate alias plus, alias minus lucis est. Et immensa bonitate filius Dei subinde tenebris depulsis reddit doctrinae lucem, sicut Psalmo. 15. dicitur. Tu sustentas hereditatem meam, Funes ceciderunt mihi in præclaris. Hæreditas mea præclara est mihi. Simus igitur ciues huius ueræ Ecclesie. In hac cum sit ministerium Euangelij, certissimum est eam & mandatum habere uocandi & ordinandi ministros Euangelij, sicut Paulus Tito precipit, ut ministros constituat. Et usitatum fuit in Ecclesia ueteri eligere ministros Euangelij *χαροτονειν πάσης συμφήσεσ εκκλησίας*, quod non de hostibus Euangelij, Sed de ueræ Ecclesie suffragijs intelligi necesse est. Quare non terreamur clamoribus illorum qui ritum ordinationis ministrorum Euangelij ad hostes ueræ Ecclesie retrahere conantur.

### XLIII.

Et in ritu ordinationis quo nunc Papistici Episcopi utuntur, adduntur impia & tyrannica uincula, petitur ueræ doctrinae



strinae improbatio, & promissio coelibatus, & iubentur ordinati sacrificare pro uiuis & mortuis. Ac nemo mediocriter institutus in Ecclesia non intelligit quantum mali sit in his uinculis, Propter has etiam manifestas & grauissimas causas fugiendus est hic ritus Episcoporum.

### XLV.

Græca Ecclesia uetus totam administrationem coenæ Domini nominat λειτουργία quod non significat sacrificium sed publicum ministerium & apte congruit ad totam actionem. Vult Deus immensa bonitate filium exaudiri & agnoscere in toto genere humano, Ideo uult nostros congressus non esse similes Eleusinijs, Sed uult honestam & publicam congregationem fieri, ut late doctrina propagari possit, uult conspici honesta exempla in ordine congressuum, uult audiri & iudicari doctores, Ac seruat Deus aliquas politias, ut congregationes honestæ fieri possint. Vult autem horum congressuum neruum esse, coenam Domini.



Domini. Fiunt ergo hæc ministeria, docet  
Pastor Euangelium, horratur omnes ad  
Precationem & ad gratiarum actionem,  
& simul cum Populo dicit precationem,  
& agit gratias, deinde pijs exhibet cor-  
pus & sanguinem Christi, Hæc omnia  
uetustas nominauit λειτουργιαι. Et acces-  
sit collatio Elemosynæ ad iuuandos pau-  
peres.

#### XLVI.

Papistæ mutato ueteri more dicunt  
sacrificulum offerre pro uiuis & mortuis,  
& hac oblatione mereri facienti & alijs  
& prorsus Ethnico more addiderunt,  
mereri eum, ex opere operato ut loquun-  
tur, sine bono motu utentis. Hæc idola-  
trica execranda sunt.

#### XLVII.

Nunc astute aliqui hæc portenta  
tegunt, & ut rem & consuetudinem re-  
tineant nouis fucis pingunt morem, di-  
cunt sacrificulum non mereri, sed adpli-  
care Ecclesiæ beneficia Christi,

Nos



## XLVIII.

Nos dicimus, in nouo testamento nullam fieri adplicationem alieno opere, Sed proprio usu sacramenti & fide, quia scriptum est, ueri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & ueritate.

## XLIX.

Et recte dicimus Sacramentū esse adplicationē generalis promissionis ad singulos qui fide utuntur. Accedens igitur cōsolationem queras & credas te hoc pignore confirmari quod uere sis membrum Christi, & quod pro te quoque Christus fuderit sanguinem. Postea accedunt & hi usus, quod sumptio est testimonium de confessione doctrinæ, ostendit quam Ecclesiam probes, obligat etiam omnes ad mutuam dilectionem, & quasi fœdus est quo paciscuntur omnes se pacem & concordiam Ecclesiæ non turbaturos esse,

Ex



# EX GREGORIO NA-

zanzeno de adpellationi-

bus filiē Dei.

δοκῆ γὰρ μοι λέγεσθαι ἦος μὲν, οτι ταύτῳ  
ἔστι τῷ πατρὶ κατὰ ουσίαν. λόγος δὲ ὅτι οὕτως  
ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς υἱὸν λόγος, οὐ  
μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γενήσεως, ἀλλὰ καὶ  
τὸ συναφεῖς καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν. δύναμις δὲ ὡς  
σωτηρητικῶς τῶν γεννηθῶν. ἀλήθεια δὲ ὡς  
καθαρά τῶ πατρὶ σφραγίς καὶ χαρακτῆρ, φῶς  
δὲ ὡς λαμπρότης ψυχῶν, καὶ γνῶσις.

Laus Deo.





36 4291

ULB Halle

3


004 976 576




Sb.

m.c.









6

**PROPOSITI**  
**ONES, DE QVIBVS RESPON**  
debunt, Magister Georgius AEmylus  
Mansfeldensis, & Simon Musæus,  
& Magister Petrus Prætorius  
Cotbusianus.

ANNO 1554.

Die quinto Maij, quo ante annos  
1520. Filius Dei admirando  
triumpho, spectante magno  
coetu Apostolorum &  
Discipulorum in  
Coelum ascen  
dit.

VVITEBERGAE:

